UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 647. An filius post commistam contra parentes ingratitudinem, ab quam exhæredari potuit, incidens in furorum possit exhæredari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-73957

Visual Library

cognoverit; ſive illæ eum admiſerint volentes, ſive nolentes; cùm in utroque caſu patri fiat injuria.: Muller. *l.c.* modò filius id crimen non commiſerit ignoranter, neſciens illam fœminam eſſe uxorem vel concubinam patris ſui.

14. Decima tertia: *ſi quis ex prædictis parentibus orthodoxis conſtitutus ſenſerint filium ſuum vel liberos non eſſe Catholicos fide, nec in ſacroſancta Eccleſia communicare, &c. licentiam habeant pro hac maxima cauſa ingratos eos & exhæredes ſcribere in ſuo teſtamento. cit. Novell.* Quæ etſi ex intentione Imperatoris Juſtiniani extendant ſe ad filios orthodoxorum parentum tranſeuntes ad fidem quamcunque non orthodoxam & Catholicam, fortè in partibus Imperii, ubi hodiedum toleratur Calviniſmus & Lutheraniſmus in praxi reperirent difficultatem. Vide Muller. *l. c. th. 34. lit.* ζ. E converſo verò tantùm abeſt, ut pater Judæus filium converſum ad Religionem Chriſtianam ideo exhæredare poſſit, ut hic potiùs contra patrem adhuc viventem ad conſequendam legitimam agere poſſit. Manz. *de teſtam. valid. tit. 22. q. 15. ſumm. 16.* Berlich. *p. 3. concl. 14. num. 31.* Muller. *l. c.* cùm timendum ſit, ne pater Judæus omnem ſubſtantiam ſuam in communionem ſectæ ſuæ conferat in fraudem filii converſi.

15. Decima quarta: ſi alicui ex parentibus volenti filiæ ſuæ vel nepti dare maritum & dotem ſecundùm vires ſuæ ſubſtantiæ pro ea præſtare, illa non conſenſerit, ſed luxurioſam vitam degere elegerit. ex quibus patet; filiam non ex eo præciſè quòd matrimonium oblatum recuſet, poſſit exhæredari; ſed quòd recuſatis honeſtis nuptiis oblatis, luxurioſam vitam ducat. qualem ducere adhuc non dicitur, ſi ſemel vel bis furtim copiam ſui fecerit. Carpz. *part. 2. crim. q. 69. num. 69.* Muller. & alii. ac proinde exhæredari nequit, præſertim ſi parentes ſuo modo ſint cauſa talis turpitudinis, differendo filiam jam 25. annorum copulare matrimonio; ſed ſi multorum libidini pater, pro ut *can. 16. diſt. 14.* meretrix deſcribitur; ſive ſi meretricio more vivens, omnibus paſſim ſeſe proſtituat, & corpore ſuo quæſtum faciat. Porrò non poteſt in hoc caſu mater exhæredare filiam, ſi ipſa mater luxurioſè vivat. cujus contrarium eſt in patre, qui illam exhæredare poteſt, etſi ipſe luxurioſè vivat. de Lugo. *de J. & J. Tom. 2. d. 24. num. 166.* Quod verò hic dictum de filia extendendum non eſt ad filium, ſive majorem, ſive minorem 25. annis, ut & hic exhæredari poſſit ob ſimilem caſum; cùm fœminino nomine, quo utitur Imperator, ſexus maſculinus, neque proprietate, neque per aliquam interpretationem contineatur juxta *L. 81. ff. de legat. 1.* De cæterò ſtatuit Imperator in *cit. novell. c. 3. §. 11.* quòd ſi filia poſt 25. annum parentibus negligentibus ei maritum dare, ſine eorum conſenſu nupſerit, ideo non poſſit juſtè exhæredari. & ita tenent Perez. *ad cod. tit. de dot. promiſſ. num. 11.* Gail. *L. 2. obſ. 95. num. 17.* Coraſ. *1. miſcell. jur. civil. 17. num. 5.* Decius. *ad L. nuptias. de R. J. num. 10.* Duaren. *ad tit. de inoff. teſtam. c. 3.* Barboſ. Covar. & alii, quos magno citat & ſequitur Muller. *ad ff. de lib. & poſth. th. 34.* contra Arumæ. *exercit. 2. th. 12. lit.* b. Guttier. *qq. pract. l. 2. q. 1. num. 1.* Menoch. *de arb. caſ. 452. num. 8.* Beſold. *tr. de nuptiis. c. 9. num. 5.* & alios apud Muller. Niſi tamen filia ſe junxerit viro inhoneſto & propudioſo, qui dedecori ſit tam ipſi quàm parentibus. nam tunc poſſe eam exhæredari per *L. 3. §. 5. ff. de bonor. poſſeſſ.* tenent Cujac. *L. 3. obſ. 6.* Sichard. *ad auth. non licèt. c. de liberor. præterit.* Pariſ. *vol. 3. conſ. 29.* Alex. *in L. 1. ff. de ſolut. matrim.* Felin. *in c. idem. h. t. num. 13.* cum Gloſ. *in can. de raptoribus. cauſ. 36. q. 1. v. excuſata.* Saltem ſub hac limitatione; ſi pater honeſtas nuptias obtulerit; vel eas non impediverit. Contrarium tenentibus. Covar. *de matrim p. 2. c. 3. §. 8. num. 5.* (ſub hac tamen diſtinctione; ſi contrahat cum indigno & longè inferiore quidem, in facie tamen Eccleſiæ, defendente illum tunc Eccleſia, ut neque à patre, neque à civili Republica propterea puniri poſſit; ſecus, ſi cum tali contrahat clandeſtinè quam tamen diſtinctionem rejiciunt alii, eò quod licèt tale matrimonium ſit validum, non tamen exinde ſequatur, quòd non poſſit ob illum contemptum parentum puniri exhæredatione ſeu privatione hæreditatis aliisve pœnis) item Jaſon. *in Auth. ſed ſi. c. de inoff. teſtam.* Molin. *l. c. d. 170.* Clar. *§. teſtamentum. q. 41. num. 4.* Haunold. *tr. 6. c. 7. n. 470.* & ferè omnibus, quotquot docent præter cauſas in *cit. Novell. 115. c. 3.* expreſſas nullam eſſe aliam, ob quam parens liberos exhæredare poſſit, ex ea etiam ratione, quòd id repugnet Juri Canonico, contra quod leges civiles in materia matrimoniali nihil obtinent. Arg. *c. tuam de ord. cognit. c. cauſam. qui filii ſint legit.* juncto Trid. *ſeſſ. 24. can. 12.* Verùm leges civiles ſtatuendo filiam nubentem tali marito contra voluntatem parentum exhæredari poſſe non præjudicare SS. Canonibus, ſed potiùs eos adjuvare, opponunt AA. oppoſitæ ſententiæ, utpote ſecundùm quos illicitum quoque eſt tale matrimonium, adeòque à legibus civilibus idem ſub pœna exhæredationis prohiberi poteſt, quemadmodum & transgreſſio aliarum legum Eccleſiaſticarum pœnam ab iis non impoſitam ſuperaddere poſſunt leges civiles. Secus foret, ſi leges Eccleſiaſticæ poſitivè vetuiſſent ob eam cauſam exhæredare filiam Illud hic notandum, quòd, ſi pater, vel quia ignoravit cauſas exhæredandi, vel quia tempus non habuit condendi teſtamentum, non exhæreditavit filium, hæres nequeat apponere cauſam omiſſam, ut filius exhæreditatus cenſeatur, vel ut ab eo tanquam indigno hæreditas aufferatur. Molin. *d. 176. §. cui dubium eſt.* cui conſentire videtur. de Lugo. *d. J. & J. Tom. 2. d. 24. num. 166.* contra alios, quos refert Vaſq. *de teſtam. c. 4. n. 58.*

Quæſt. 647. *An filius poſt commiſſam contra parentes ingratitudinem, ob quam exhæredari potuit, incidens in furorem, adhuc exhæredari poſſit.*

RESP. Quamvis Bart. *in L. ex facto. ff. de vulg. & pupil. ſubſt. num. 19.* uti & Jaſon. *in L. poſt. num. 29.* dicens eſſe communem, aſſerat poſſe illum exhæredari. Clar. tamen *l. c. n. 8.* ait ſibi hanc ſententiam ſemper viſam duram ex eo principio, quòd furioſus puniri non poſſit propter delicta commiſſa ante furorem, pro ut docet. *L. 5. §. fin. q. 6. verſ. item quæro.* Quin & licèt aliqui teneant, quòd furioſus propterea puniri poſſit pœnâ pecuniariâ, ſibi tamen etiam in hoc contrarium videri veriùs; ac propterea ſi talis contingeret caſus, ſe de facili inclinaturum in hanc ſententiam, utpote mitiorem & æquiorem. & hæc quidem à Claro dici videntur probabiliùs.